

ORDO  
SUPPLENDI OMISSA

SUPER BAPTIZATUM.

TITULUS DECIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Sacramentalia praetermitti non debent in Baptismo.
- 2 Nisi in casu gravissimae necessitatis.
- 3 Habent suam peculiarem significationem.
- 4 Pericula, in quibus omitti possunt Sacramentalia.
- 5 Effectus Sacramentalium enumerantur.
- 6 Omittens Sacramentalia sine causa, peccat graviter.
- 7 Exorcismi locum habent inter Sacramentalia.
- 8 Exorcismorum effectus.
- 9 Caeremoniae infantibus non sunt inutiles.
- 10 Caeremoniae in Adultis utilissimae.
- 11 Caeremoniae omissae supplendae sunt.
- 12 Possunt suppleri per saltum.
- 13 Nonnulla mutanda in supplendis Orationibus.
- 14 *Dudum* quid significet?
- 15 Minister in supplendis omissis debet esse bene cautus.

1 2 Cum Sacramentalia quae intelliguntur per caeremonias Sacras ab Ecclesia institutas, ut Sacramenta magis solemniter celebrentur, habeant suam peculiarem vim in Baptismo, non ratione meriti operantis, neque vi sua immediate, sed ex opere operato, et per significationem, ideo praetermittenda non sunt nisi in casu gravissimae necessitatis, vel in mortis periculo. Quapropter Textus ait:

§. I. Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, sive Parvulus, sive Adultus, sacris precibus, ac

caeremoniis praetermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, et ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur.

3 Pericula ista enumerantur a Ricciul. *dict. l. 3. de Catech cap. 3. n. 2.* et sunt mortis, aegritudinis, obsidionis, persecutionis, naufragii, incendii, et similia.

4 Quinque effectus habent ista Sacramentalia, seu istae caeremoniae, quos enumerat Coninck *de Sacr. qu. 71. de caeremon. Bapt. art. 3. dub. unic. num. 21.* Primus est remissio peccati venialis; secundus excitatio Gratiae praevenientis; tertius remissio poenae temporalis; quartus compressio Daemonis; quintus operatio sanitatis: et totum hoc fit, quatenus aliqua ratione in nobis excitant pium aliquem motum, et saltem virtua-lem peccatorum displicentiam, D. Th. *quaest. 87. art. 3. in Corp.*

6 Ab horum effectum experimento non debent arceri Baptizandi ad libitum, sed ubi tantum ratio postulat, et est, ut diximus, quando grave aliquod periculum imminet: et ideo qui extra periculum, seu necessitatem baptizaret seu Infantem, seu Adultum, et omitteret Sacramentalia, seu caeremonias, graviter peccaret, et esset puniendus, Diana *de Bap. art. 7.*

8 Inter has caeremonias, seu Sacramentalia locum habent Exorcismi, qui duplicem effectum habent, eo quia tollunt duplicem gratiae obicem: alterum nempe extrinsecum, qui a Daemone posset provenire, qui suis tentationibus conatur effectum Baptismi impedire: Alterum intrinsecum, qui nascitur ex nostra hebetudine ad res divinas capiendas. Per dictas autem caeremonias, et divinas inspirationes, quas Ecclesia suis precibus, nobis impetrat, excitamur, ut alacrius, et ferventius divina suscipiamus mysteria, Coninck. *l. c.*

9 Dubium est an istis caeremoniis indigeant Infantes, qui cum usum rationis non habeant, neque mereri, neque demereri possunt, nec sunt capaces tentationis Daemonum, nec divinarum inspirationum, nisi Deus vellet insueto miraculo iudicium iis accelerare: sed non per hoc Infantibus huiusmodi caeremoniae inutiles sunt, quia impetrant a Deo, ut Daemonum vis circa illos deprimatur, ne possint eos aggredi, et laedere in corpore.

10 11 In Adultis clare patet utilitas horum Sacramentalium, quia undequaque infirmitatibus circumdati sunt, et indigent valido scuto ad eas repellendas. Igitur non inutiles, imo necessariae sunt istae caeremoniae tam Adultis, quam Infantibus baptizatis, et baptizandis: si necessariae, ergo non omit-

tendae; et si omittantur absque justa causa, peccat qui illas omittit, et supplendae sunt. Ad hoc igitur Ecclesia praescripsit istam Rubricam, ut dato casu talis omissionis, possit Minister supplere rite, et recte, tunc quando cesset periculum, vel Baptizandus convaluerit.

§. II. Idemque ordo, ac ritus servetur qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus) seu Adultorum (si fuerit Adultus) praescriptus est: excepto quod interrogatio an velit baptizari? formaque Baptismi, et ablutio praetermittuntur, et quaedam orationes, et exorcismi, suo quique loco immutati, ut infra, dicuntur.

12 Non per hoc quod ommissae sunt caeremoniae, debet immutari ordo: tantum debent fieri per saltum: nempe quae praecedunt Baptismum prius fieri debent: postea omittenda interrogatio: *an velit baptizari?* Si jam baptizatus est: et sic omittenda forma: *Ego te baptizo.* Et una simul ablutio, deinde reassumi debent orationes, preces, unctiones, exorcismi, et alia quae sequuntur, usque ad finalem salutationem.

§. III. Sacerdos igitur antequam immittat salem in os baptizati, manum super caput ejus imponens, dicit, etc.

13 14 In ista oratione tria tantum verba addita sunt, quae in illa dicenda super baptizando, desunt, et sunt *dudum: frui: et quem suscepit*, et prorsus verificantur. *Dudum* enim significat *paulo ante, nuper, poco fa:* et licet non semper verificari possit ista propositio, cum quandoque detur longum spatium temporis inter Baptismum, et supplementum caeremoniarum (quando praecipue rationabiliter differendum venit) attamen figuratus modus loquendi potest appellari et quamvis Grammatici velint, quod de exiguo tempore dicatur. Valla *elegant. l. 2. c. 34.* Nihilominus sano modo intelligendum venit in hoc loco istud verbum: supponit enim Ecclesia, quod periculum mortis, seu alia necessitas non perduraverit longum temporis spatium; atque ideo dicit *dudum*, quando poterat dicere *jam:* et ita significare quodcumque temporis spatium.

Insuper dicit: *quem suscepit* quando in alia oratione hoc reticetur; diciturque: *ut idoneos accedere efficiatur ad gratiam Baptismi tui*, et modo: *ut idoneus sit frui gratia Baptismi*

*tui, quem suscepit*, quia vere suscepit Baptismum, nec indiget accedere ad Baptismum, ad quem jam antea accesserat in casu necessitatis, et privatim.

§. IV. Deinde: Posteaquam modicum salis immisit in os baptizati dicens, Accipe Sal, etc. dicit: Oremus, etc.

Oratio ordinaria, et sollemnis dicit: *Perduc eum, Domine, quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur, etc.* Altera supplementi dicit: *Et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus, Domine, etc.* Ista diversitas, sive ista mutatio, et varia lectio consonans est, et demonstrat, adimpletum jam esse id, pro quo deprecatur in alia oratione.

§. V. Manu super caput ejus imposita, dicit: Oremus: Aeternam, ac justissimam, etc.

Similiter haec oratio diversificatur per illa verba: *Ut dignus sit frui gratia baptismi tui, quem suscepit, etc.* quando in consueta alia oratione dicebatur: *ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, etc.*

§. VI. In Baptismo autem Adultorum. praeter illa, quae supra notata sunt, quando suppletur omissa, haec mutari debent. Primum in exorcismo. Audi maledicte Satana, ubi dicitur habitaculum perficiat, dicatur; habitaculum perfecit: deinde in exorcismo, Nec te latet, ubi dicitur: ut fiat, dicatur: ut fieret, etc.

15 Istae mutationes quodcumque occurrant faciendae debent promptum habere Ministrum, ut possint libere pronuntiare, nec interrumpi extemporanea observatione. Ideo non nisi laudandi sunt, qui se junctas pro quocumque Baptismo habent formulas vel in scriptis, vel impressas in libellis, seu Tabellis a Rituali se junctis ut possint esse ad manus tunc, quando opus est. Parochi, et Magistri Caeremoniarum prae-

cipue hoc curare deberent; eo quia in arena quandoque consilium capere, periculosum est, et deformitatem gignit, ex qua debita Sacramenti, et functionis veneratio imminuitur.

## RITUS SERVANDUS

CUM EPISCOPUS BAPTIZAT.

### TITULUS DECIMUS QUINTUS.

#### SUMMARIUM.

- 1 Episcopi proprium munus est baptizare.
- 2 Cardinalis etiam non Episcopus potest solemniter ministrare.
- 3 Omnes abstinere debent ab hac solemnitate, si adsit Episcopus.
- 4 Caeremoniae particulares pro Episcopis.
- 5 Ritus servandus ab Episcopis in unum volumen redactus.
- 6 Episcopus nunquam Pontificaliter agit sine assistentia Capellanorum.
- 7 Ministri assistentes Episcopo quales, et quot?
- 8 Cardinali major numerus ministrorum necessarius.
- 9 Ministri assistentes debent esse superpelliceo induti.
- 10 Familiars habitu decenti indui debent.
- 11 Vestes adhibendae ab Episcopo in baptizando.
- 12 Rochetum quid sit?
- 13 Quare episcopi Regulares utantur superpelliceo?
- 14 Tota differentia est in indumentis, et in Ministris assistentibus.
- 15 Baptismus non debet fieri extra fontem Baptistalem.
- 16 Abusus tollendi circa hoc.

1 2 3 Episcopi proprium munus est baptizare, ut ex auctoritate Concilii Gerundensis, et Gelasii Papae docet Grat. *in cap. de Catechum. etc. c. Venerabilis, et cap. Baptizandi, ubi gloss. et DD.* D. Thom. 3. p. q. 71. Igitur extranea, et insolita res esse non videtur, si quandoque vel Episcopus, vel Cardinalis voluerit aliquem baptizare; et licet Cardinalis non esset Episcopus, tamen posset hoc Sacramentum solemniter ministrare. Quare *in Act. Eccle. Med. P. 4.* in Sacramentali Ambrosiano praecipitur, ut Parochus servet baptizandos natos in hebdomada authentica pro Sabbato Sancto, ut offerantur Baptismo, quem solemniter ritu ministrabit Archiepiscopus illius Ecclesiae: a qua solemnitate, quae Archiepiscopalis muneris est, quivis alius vel Archipresbyter, vel Praepositus,

vel Parochus tam Urbis, quam Diocesis abstinet, *D. de modo ministrandi*, §. *Si quando*.

§. I. Si Episcopus, S. R. Eccl. Cardinalis, Parvulos, vel Adultos baptizare voluerit, parantur, et servantur omnia ut superius de ordine Baptismi dictum est; atque haec praeterea, quae infra notantur.

4 Cum ratione itaque statutum est in hoc Rituali, ut tali Ministro administrante, Ecclesiae, quando occurrerit, adhibeant novas caeremonias gradui Episcopali, seu Cardinalitio convenientes. In quo casu iste Ritus servandus est, qui cum nimis compendiose scriptus sit, et adveniente casu, non adeo commode exequendus, pro instructione quorumcumque assistentium, et praecipue illorum, qui Magistri caeremoniarum officio funguntur, ampliatus fuit, et partibus suis rite, et recte compositis, per extensum, et ad locum collocatis, in peculiare Volumen redactus fuit, necnon typis datus Caesenaë 1683, ex Typographia Pauli Riceputi de Mandato Eminentissimi Card. Ursini tunc illius Ecclesiae Episcopi, modo vero totius Ecclesiae Catholicae Summi Pontificis: qui Liber valde utilis, et manualis est cunctis Episcopis, qui talem ritum non nisi compendiose scriptum in hoc Rituali habebant.

Nos vero de Rubricis tantummodo in hoc Rituali insertis explicationem faciendo, pauca adnotabimus, et primo.

§. II. Adsint Capellani, vel alii Presbyteri, et Clerici superpelliceis induti, qui ei assistant, ac ministrent.

6 7 8 9 10 Episcopus numquam Pontificaliter agit absque assistentia Capellanorum, et Clericorum, quorum enumerationem facit Caeremoniale Episcoporum, *l. 1. c. 11. de numero, qualitate, et Officio Ministrorum servientium Episcopo*, et hoc fit, ut Episcopales functiones, praesertim in Ecclesiis, et in Divinis Officiis commodius, digniusque haberi queant. Multo magis augetur numerus Ministrorum, si celebrans, seu ministrans fuerit Cardinalis, ob Eminentissimam dignitatem, qua fulget in Ecclesia Dei. Et isti omnes, qui ad functiones destinati sunt, debent esse superpelliceo induti, ad distinctionem familiarium, et inservientium vel Episcopo, vel Cardinali, qui non sint Clerici: quorum tamen habitus sit decens, et

moderatus juxta conditionem suam, Paris Crass. *de Caerem. Cardin. et Episc.*

§. III. Ipse vero super Rochetum, sive superpelliceum; si est Regularis, accipiat albam, et singulum et stolum, et pluviale violacei coloris, ac mitram.

11 12 Simplex Sacerdos in administrando Baptismo, nisi fiat magna solemnitate, sufficit, ut sit Cotta, et Stola indutus. E converso Episcopus, sive Cardinalis, juxta dignitatem suam primo induere debet *Rochetum*. Haec est vestis Sacra omnino similis superpelliceo, excepto quod manicas habet angustas, et usque ad manum productas, ad denotandum, quod Praelatus (cui olim peculiaris erat haec vestis, sed postea per privilegium aliis inferioribus Ecclesiasticis concessa fuit) debeat habere manus promptas, et expeditas ad elargiendam Eleemosynam, Macr. *Hier. Verbo Rochetum*.

13 Episcopi Regulares ex antiqua institutione pro Rocheto utuntur superpelliceo, quia Monachus factus Episcopus non penitus absolvitur a regula Monachali, *can. 16. quaest. 1. de Monach*, et plerumque Regulares habent manicas latas; ideo difficilis est apud illos usus Rocheti. Sarnell *l. Eccl. T. 8. epis. 23.* dispensantur tamen nonnulli, ut ipsemet Auctor demonstrat. Qui vero manicas habent latas, ad hoc eas habent, ut dilatentur spatia charitatis, Durand. *l. 3. c. 1.*

§. IV. Atque ita paratus cum Ministris procedat ad Baptismi ministerium.

*Et seqq. Rubricae usque ad finem hujus Ritus.*

14 Cum in hoc ritu servantur omnia, quae praescripta sunt in Baptismo, tam Parvulorum, quam Adultorum, nihil a nobis superaddendum, cum singula suis locis huc usque explicaverimus. Tota differentia Ritus servandi Episcopo baptizante, consistit in indumentis Episcopalibus, et in Ministris, de quibus nuper diximus, et in modo, et tempore sedendi, et standi, vel cum mitra, vel sine mitra, circa quae tota haec Rubrica versatur, quae nulla indiget explicatione Parochis saltem necessaria.

Si vero de hoc pontificali Baptismo ordine, et methodum aliquis per suas partes distributam desideraret, facile ei occur-

ret Volumen jam enunciatum, Caesenae impressum, et insuper aliud ab Horatio Christiano compositum, sub titulo *Praxis pontificalis pro majori hebdomada, Bonon.* 1680. in quo per extensum tota haec functio pontificalis exposita est, quae cum magis pertineat ad Pontificale, seu caeremoniale Episcoporum, quam ad Rituale Romanum, studiose hic a me praetermittitur: nihil enim ad Parochos pertinet. Quod animadvertens Benedictus XIII. talem sejunctam formulam, et ritum ab Episcopis servandum, in Pontificale Romano inserendum mandavit.

§. V. Si autem Pontifex quempiam a Presbytero jam catechizatum, tantum baptizare voluerit, sic paratus vestibus albis incipiat, postquam ad Baptistarium deventum fuerit, dicens, Quo nomine, etc.

15 16 Unum tantummodo hic superaddam, quod ad rem valde facere credidi, nempe incongruum esse, et inconveniens fieri hunc Baptismum extra locum Fontis Baptismalis. Vidi olim in quadam Ecclesia Cathedrali, omnia, et singula parata pro administrando Baptismo ab eminentissimo Cardinali: sed quod contra Ritum mihi visum fuit, erat mensa quaedam parata ante Altare majus, supra quam Pelvis erat cum Aqua baptismali a fonte extracta, qua baptizandus erat quidam Catechumenus a Presbytero jam catechizatus. Accessit debito tempore baptizandus, et illum Episcopus (factis debitis, et praescriptis interrogationibus) abluit sedens cum mitra, ad mensam ut supra paratam ante Altare sub Baldachino. Hujus Ritus inversio nonnullis displicuit, quia licet Minister esset Cardinalis, attamen dignitati, et Eminentiae suae nulla irreverentia, seu nullum incommodum inferebatur, accedendo ad Fontem Baptismalem, ut a Rubrica praescribitur, quae clare loquitur his praecipuis verbis, *Postquam ad Baptistarium deventum fuerit, etc.* Nec quod sciam, Caeremoniale Episcoporum, seu, Pontificale Romanum dispensat ab hujus Ritus observantia, quam optime callere deberent Sacrarum Caeremoniarum Magistri. Nec obstat Resolutio S. Congregat. Rit. a me allata ad Titulum: *De tempore, et loco ministrandi Baptismi*, §. 3. quia ibi sermo est de baptizandis Filiis Baronum, non vero de adultis, ut in praesenti casu.

## BENEDICTIO

# FONTIS BAPTISMI

EXTRA SABBATUM PASCHAE, ET PENTECOSTES, CUM AQUA CONSECRATA  
NON HABETUR

## TITULUS DECIMUS SEXTUS.

### SUMMARIUM.

- 1 Fons Baptismi non est essenziale constitutum Ecclesiae Parochialis.
- 2 Fons Baptismi omni munditie debet nitere.
- 3 Si Aqua corrupta fuerit, renovatur.
- 4 Aqua semper faeces deponit, et majores si fuerit putrida.
- 5 Fons mundandus est ob venerationem.
- 6 Aqua Baptismi quare sit consecranda?
- 7 Aqua consecrata sordes peccatorum diluit.
- 8 Ministri necessarii in hac Benedictione.
- 9 Altare in Baptistario optime aedificatur.
- 10 Altare Baptistarii Sancto Joan Baptistae dedicandum est.
- 11 Litaniam ordinariam, seu majorem quatenam sit.
- 12 Litaniam abbreviatam dicitur in Sabbato Sancto.
- 13 Litaniarum mysterium, et significatio.
- 14 Symbolum Fidei, et Oratio Dominica quare dicantur sub silentio?
- 15 Cur dictae Orationes recitentur palam in Benedictione Fontis.
- 16 Aqua dividitur tota manu, non digitis.
- 17 Aquae Benedictae modica effusio fieri debet.
- 18 Partes Orbis Terrarum quatenam sint.
- 19 Insufflatio in Aquam cur fiat?
- 20 Y littera quidnam vere sit, et quodnam mysterium in se contineat.
- 21 Littera Pythagorica, et ejus Symbola.
- 22 Olei sanctificatio facit Fontem sanctificatum.
- 23 Olei immixtio faciendae manu non insufflatione.

1 2 Quamvis Fons Baptismalis non sit essenziale constitutum Ecclesiae Parochialis, eo quia bene stare simul possunt  
Com. P. 23.